



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XXX. De Officio Legati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

ar. quia nihilominus ordinarius sibi eisdem causæ jurisdictionem retinet, nisi quod actu eam non exerceat; nam eandem causam, non obstante delegatione, ad suam notitiam revocare potest, l.

Judicium solvitur § 8. D. De judic. Deinde sententiam à suo delegato laram ipse exequitur, l. A. dyvo Pio 15, in pr. D. De re judic. Non igitur causæ delegatione jurisdictionem à se abdicavit.

 IN TIT. XXX. DE OFFICIO LEGATI.

Post Titulum de officio Judicis delegati sequitur recto ordine hic Tit. de officio Legati, quia uti delegatus fungitur munere Judicis superioris delegantis, sive is sit summus Pontifex, sive alius Judex ordinarius, ita & Lega-

tus gerit vices §. Pont. qui quia ubique præsens esse non potest, mittit in Provincias Legatos suo nomine, cum pleniori potestate, c. 1. hoc tit. Quare de re repete dicta in summa Juris Canonici lib. 1. Tit. XVII. V. A.

 IN TIT. XXXI. DE OFFICIO JUDICIS ORDINARIJ.

Post Judices, qui extra ordinem à sancto Pontifice constituuntur, sequitur de Judicibus ordinariis, quos locorum ordinarios vocat text. in c. 3. hoc tit. in 6. qui scilicet propriam jurisdictionem habent, dignitati Ecclesiasticæ ac muneri, quo funguntur, coherentem. Tales in primis sunt Episcopi, & alii Prælati Episcopo

minores, ut Ecclesiarum collegiarum & Monasteriorum Præfetti; qui tamen si fuerint negligentes in suis corrigendis, possunt Episcopi vices & negligentiam eorum supplere, c. Quanto 7. & c. Irrefragabili 13. §. excessus hoc tit. Reliqua repete ex summa Juris Canonici lib. 1. Tit. XVI. & dictis sup. ad Tit. XXIX in princ. V. A.

 IN TIT. XXXII. DE OFFICIO JUDICIS.

De officio Judicis in genere hoc Titulo agitur. Ubi breviter notandum est, quod quemadmodum Judex interdum utiliter & ad nullius petitionem munere suo fungitur, veluti dum ea, quæ juris sunt, & minus allegata supplet, c. Bona memoria 3. sup. De postulat. Interdum verò necessariò, & ad partis petitionem, ut dum in integrum restituit, c. 2. hoc tit. dum parti litiganti,

quæ destituitur patrocinio, dat advocatum, c. 1. eod. ita & petentibus judicium seu actum justitiæ interdum nobile, interdum mercenarium suum officium impendat. Hanc enim divisionem officii Judicis in nobile & mercenarium textus in d. c. 2. aut insinuat, aut ex eo saltem eliciunt & probant Interpretes. V. A.

 IN TIT. XXXIII. DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

Inter Ecclesiasticas personas, de quibus hæc dictum est, quædam est præminentia, quæ in Rubr. dicitur Majoritas, ratione cujus qui minor est obligatur majori ad reverentiam & obedientiam. Majores autem aliqui habentur, vel ratione Ordinis, ut Diaconus Subdiacono, Diacono Sacerdos, c. Statuimus 15, hoc tit. vel ratione jurisdictionis & dignitatis, ut Archidiaconus major est Archipresbytero, qui tamen Ordine minor est seu posterior, c. Ad hæc sup. De off. Archid. vel ratione antiquitatis, ut qui prior tempo-

re est in ordine, c. 1. & d. c. Statuimus hoc tit. vel denique ex representatione personæ eminentioris quis prærogativam habet, ut qui ordinatus est à Summo Pontifice quamvis per hoc non eximatur à jurisdictione sui Episcopi, c. per tuas 7. eod. Obedientia verò consistit in honoris exhibitione, honestioris loci sessione, & potissimum in eo, ut minor obediat præcepto majoris, modò intra limites jurisdictionis suæ se contineat, nec quid mandet extra officium suum, & licita atque honesta fiat, quæ imperat. V. A.

IN TIT.